M.A. VAN DEN OUDENRIJN O.P., *Praesides Armeniae dominicanae 1344-1813*: , in «Archivum Fratrum Praedicatorum"» (ISSN 0391-7320), 21, (1951), pp. 306-319.

Url: https://heyjoe.fbk.eu/index.php/afp

Questo articolo è stato digitalizzato della Biblioteca Fondazione Bruno Kessler, in collaborazione con l'Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum all'interno del portale HeyJoe - *History, Religion and Philosophy Journals Online Access*. HeyJoe è un progetto di digitalizzazione di riviste storiche, delle discipline filosofico-religiose e affini per le quali non esiste una versione elettronica.

Il materiale sul sito HeyJoe è disponibile sotto licenza CC BY-NC-ND 4.0: può essere scaricato, stampato e condiviso per uso non commerciale, con attribuzione e senza modifiche.

This article was digitized by the Bruno Kessler Foundation Library in collaboration with the Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum as part of the HeyJoe portal - *History, Religion, and Philosophy Journals Online Access*. HeyJoe is a project dedicated to digitizing historical journals in the fields of philosophy, religion, and related disciplines for which no electronic version exists.

The material on the HeyJoe site is available under the CC BY-NC-ND 4.0 license: it can be downloaded, printed, and shared for non-commercial use, with attribution and without modifications.

PRAESIDES ARMENIAE DOMINICANAE 1344-1813

RECENSUIT

M. A. VAN DEN OUDENRIJN O. P.

E diversis fontibus, tum armeniis tum europaeis, has notulas collegimus de Gubernatoribus Congregationis Fratrum Unitorum et de iis qui «Provinciae Naxivanensi in Armenia Maiori» praefuerunt, postquam Unitorum congregatio in cap. gen. 1583 inter provincias ordinis recepta est.

I

Elenchus Gubernatorum aliorumque praesidum Congr. FF. Unitorum[1]

1344 (?) – 6 Ianuarii 1348 (?)

Fr. Yohan Ǫrneçi. Annus electionis eruitur, quamvis non ita ut omne dubium penitus praecludatur, ex eo quod in colophone ad libros philosophicos scholae Ǫrnayensis[2] nondum vocatur Gubernatoris titulo, nec «fratris» vocabulo; hoc nomen primo gerit eodem anno 1344 in colophone ad suam Grammaticam[3], dum, eodem pariter anno, in colophone ad versionem primi tomi Tertiae Partis Summae Theologiae S. Thomae Aquinatis Gubernatoris titulus accedit[4]. E colophone «Borg. Arm. 45»[5] mortuus est die 6 Januarii, cuiusnam anni non plane compertum[6]. Fuisse anni 1348 supponit Ališan, Ալիշան, 388[b], idque forte non immerito, cum post hunc annum nulla mentio satis certa de eo habeatur.

De Fr. Joanne Ǫrnayensi videndus est Clemens Galanus in Conc. – Արաք vol. I, 509-522. Ad literas Ioannis encyclicas, ibidem relatas, pauca animadvertimus in Neue Zeitschrift für Missionswissenschaft 3 (1947) 25-38 cfr. etiam Հասկ, Հայագիտական տարեգիրք 2 (1949-50) 199-208. Ceterum vide Quétif Echard, Script. O. P. I, 583 necnon R. Loenertz, La société des Frères Pérégrinants, I, 142-6.

---

[1] Cfr. Ł. Ališan, Ալիշան, 388[b]; M. A. van den Oudenrijn, Gleanings in Miabanoł History in vol. quod inscribitur: Atti del 19. Congresso Internazionale degli Orientalisti, Romae 1938, 260-262, et General Superiors of the United Brethren in Armenia during the 15th century in periodico Handês Amsôreay 52 (1938) 66-78.

[2] J. Dashian, Ցուցակ Ձեռագ. Ազգ. մատենի., 720[b].

[3] Dashian, 719[b].

[4] In cod. ms. Êdšmiacin Kareneanç N. 117.

[5] E. Tisserant, Codices Armeni Bybliothecae Vaticanae, p. 75.

[6] Cfr. quae de hac re scripsimus in periodico Friburgensi Divus Thomas 8 (1930) 260-263.

1356 – 1 Apr. 1358

Fr. Awagtêr Dšahkeçi. Hic, nescio qua auctoritate, Samuelis vocatur nomine apud Ališan, **Սիսական**, l. c. et Eleutherii apud Galanum, *Conc.* **Մ՛իաբ.** I, 524. Verum autem nomen traditur in colophone anni 1421 ad librum quem « **Այծակունց Գիրք** » Armenii vocant. Fuit frater germanus, sed senior, Fr. Thomae Dšahkeçi, cum quo Avenionem petierat A. D. 1355. Videtur fuisse e fratribus unitis conventus Sancti Nicolai de Capha, qui paulo antea se Qrnayensibus sociaverant. Non fuit electus in capitulo generali fratrum, sed ad Gubernatoris officium nominatus apostolica auctoritate. Constantinopoli Capham regrediens cum fratre suo Thoma episcopo periit in Ponto Euxino, kal. April. 1358.

Extat in Bull. O. P. II, 246-7 epistola ad eum et Fratres Unitores data die 31 Januarii 1356 ab Innocentio PP.VI. Haec autem sunt quae e colophone cod. ms Êdšmiacinensis Kareneanç 1703 nobis excripsit Rev.mus archiepiscopus D.nus Mesrop Têr-Movsêsean: [ցիշեցեք] *վերադմանողդ սոյն գրոցս ի լատին լեզուէ ի հայս ձեռ. Թումային զահկեցի ի կարգէ միաբանողացն, որ մինդեռ ծաղկերն երիտասարդական տիօքն ի ամենայն իմաստութեամբ և շնորհօք, Թարգմանեաց զդիրքս զայս ի քաղաքն Կոճաչ։ Եւ ապա ընդ երիցագոյն հաբատաւոր եղբօր իւրոյ Աւագտէր, շարժեալք նախանձով բարեաց, դիմեցին յամենուն Հռոմայ առ ծայրագոյն քահանայապետան և հովիւն հանուրց աշխարհի, պապն գ.րդ Ինոճենտիոս վասն հաստատութեան սուրբ կարգին Միաբանողացն, զոր իբրև տեսս վերոյասացեալ սուրբ պապն զերմեռանդութիւն նոցա և զխնդիր, որ ի վիճակութեան հոգոյ, հաւանեցաւ առնել զհայցուածս նոցա եւ շնորհաց նոցա բրվէլէճ վասն նախատացեալ կարգին, կենցաւորել և կեալ ըստ կանոնաց երանելոյն Օգոստինոսի և ըստ կացուցմանց կարգին քարոզողացն Պայմանացեալ ի. Աւագտէրն հաստատեաց գուբեռնատիօր, այսինքն վերանամողդ ասացեալ կարգին և զեղբայր իւր զվերոյասացեալ գԹոմայն եպիսկոպոս ձեռնադրեաց Պախիվանեայ։ Եւ ոչքա ուղի անկեալք անցին ընդ Ծովն մեծ և հասին ի կոստանդնուպոլիս և անտի նաւեալք կամեցան չուել ի կաֆայն և ալեկոծեալք ծովահեղձ եղեն ընդ յայլոց բազմաց յամի տեառն ռ, յ. ծ. ը. յապրիլ ա.* = Mementote illius, qui librum hunc e sermone latino armenice vertit, fratris Thomae de Dšahouk ex Unitorum congregatione. Is, dum iuvenili florebat aetate, sapientia repletus et gratia, hunc librum vertit in urbe Capha. Postea cum fratre suo germano seniori Awagtêr, bonorum operum studio incitati ambo, perrexerunt ad Sedem Romanam, ad Summum Pontificem, pastoremque orbis universi Innocentium PP VI pro confirmatione sacrae congregationis Unitorum. Et praedictus sanctus pater, attentione habita ad zelum eorum et ad hoc, quod petitio eorum in bonum animarum vergebat, rogata eorum complere decrevit, illisque pro congregatione praedicta privilegium contulit vivendi secundum regulam beati Augustini constitutionesque Praedicatorum. Insuper dictum fr. Awagtêr gubernatorem, id est « veraxnamoł » memoratae congregationis constituit, eiusque fratrem, praedictum Thomam, consecravit episcopum Naxivanensem. Illi vero recto tramite pergentes per Mare Magnum venerunt Constantinopolim. Inde navigando Capham pertingere voluerunt, sed fluctibus obruti cum aliis multis naufragio perierunt Kal. apr. A. D. 1358.

1389, 28 Martii

Fr. Iohannes Armenus, episcopus Vahrnartensis, a Magistro Ord. FF. Praedicatorum constituitur « vicarius suus super ordinem Unitorum

in partibus Armeniae, Ierianae et Persiae, dummodo vicarius Societatis Peregrinantium duxerit acceptandum ».

Th. Kaeppeli, Registrum litterarum Fr. Raymundi de Vineis Capuani, Magistri Ordinis 1380-1399, 220-221.

1399, 28 Apr.

Fr. Lucas, « Gubernator Fratrum de Armenia Maiori Ordinis Unitorum » memoratur in bulla Bonifacii PP. IX. Apud Ališan, l. c., idque, ni fallor, auctoritate Clementis Galani, *Conc.* – Ա՛ղաք• I, 524, cognomen habet « Šahapôneçi ».

Bull. O. P. II, 383.

1415, 1423

Fr. Yovsêp̣ I Šahapôneçi. Nomen, cognomen et annus 1415 (23 Iulii) habentur e colophone cod. ms « Borg. Arm. 45 » Bibliothecae Vaticanae [7]. Veri simile est eumdem esse « dilectum filium Iosephum, Ordinis Fratrum Praedicatorum Unitorum nuncupatorum in Armenia Maiori Magistrum », ad quem extat epistola Martini PP V d. d. 12 Dec. 1423 [8].

Bull. O. P. II, 629.

1437, 1442

Fr. Yovsêp̣ II (Aparançi?). Cognomen ei apud Ališan, l. c. tribuitur e suppositione eumdem esse, qui S. Theol. Magister creatur per literas apostolicas Eugenii PP IV ad episcopum Naxivanensem d. d. 11. Martii 1431; cfr. *Bull. O. P.* III, 4. Quod est veri simile; cfr. *Handês Amsôreay* 52 (1938) 74 et 76. Huius Fr. Iosephi extat instrumentum autographum, quo testatur se librum quemdam, qui nunc est « Ms. Arm. f. 6 » (= Baronian-Conybeare, *Catalogue*, N. 110) Bibliothecae Bodleianae, emisse d. 19 Iunii 1437. Documentum nunc servatur in cod. miscellaneo « Ms. Arm. b. 1 » (= Baronian-Conyb., N. 45) eiusdem bibliothecae; cfr. ea quae scripsimus in *Handês Amsôreay*, l. c., 69-74. Anno 1442 ei dedicatur codex restauratus (Missale) qui superest in Bibl. Nat. Parisiensi (Suppl. Arm. N. 71 = Macler, *Catalogue* N. 106); vide nostram editionem Officii S. Dominici e Breviario FF. Unitorum, 158-162.

Ante 1474

Fr. Gregorius. Nil praeter nomen habemus ex epistola Sixti PP. IV, d. d. 4 Febr. 1475; cfr. *Bull. O. P.* III, 521, ubi vocatur « Gregorius de Armenia, tunc (id est: ante Fr. Mathiam) Provincialis Provinciae Caphensis » iuxta morem loquendi qui Romae saec. 15 invaluerat ad designandos gubernatores Fratrum Unitorum.

---

[7] E. Tisserant, o. c., p. 75; M. A. van den Oudenrijn in periodico Friburgensi Divus Thomas 8 (1930) 267.

[8] Cfr. quae scripsimus in periodico Handês Amsôreay 52 (1938) 66 et 76.

1474, 1475

Fr. Mathias de Charna (Matatia Qṙneçi). Apud Ališan, l. c., nescio quo fundamento, gubernatorem egisse memoratur ab anno 1471 ad 1475. Documenta quaedam eum et iter eius romanum, sociosque itineris spectantia, recensuimus in *Handês Amsôreay*, l. c. 77-8. Cf. Loenertz, *La société*, p. 145.

1540, 30 Novemb.

Fr. Andreas vocatur « subprovincialis » (*sic*, utrum vicarius Gubernatoris Unitorum an vicarius Magistri Generalis Ord. Praed.?) totius provinciae Armenorum catholicorum in literis testimonialibus de electione Fr. Benedicti Ṗirzatê ad sedem Naxivanensem.

V. M. Fontana, Sacrum theatrum dominicanum, Romae 1666, 56-7; M. Le Quien, Oriens Christianus, III, Parisiis 1740, 1407; cfr. quae de his literis scripsimus in Archivo fr. Praed. 6 (1936) 186.

1575, 1576

Fr. Ioannes Baptista (Mkrtič Aparançi). Ipsius manu scripta notula armenice habetur praefixa Missali « Plut. N. 13 » Reg. Bibl. Med. – Laurentianae (Florentiae), unde desumitur nomen, cognomen et notitia itineris romani, quod iubilaei causa peregerat A. D. 1575. Redeundo, anno 1576 Florentiae aliquantulum substitit. Gubernatorem fuisse Congregationis Unitorum desumitur ex antiqua notula latina eidem codici praemissa, ubi, iuxta usum loquendi, tunc iam a saeculo vigentem, ordini Praedicatorum accensetur et vocatur « provinciae Armeniae praefectus ». Notulam hanc edidimus in *Analectis O. P.* 29 (1921) 100-101.

II

Elenchus Priorum Provincialium aliorumque praesidum Provinciae O. P. Naxivanensis in Armenia Maiori quotquot nobis innotuerunt ab anno 1583 usque ad annum 1813.

Priores huius provinciae nonnisi rarius a suis comprovincialibus electi fuisse videntur, quod in ceteris provinciis ordinis erat consuetum. Unicum exemplum electionis, quod nobis certo innotuit, praebet capitulum provinciale Qṙnayense, mense Ianuario A. D. 1728 celebratum, quod provinciae secundo praefecit P. Petrum Ṗehlewan, cuius electio in Libro Consiliorum Provinciae facta esse dicitur secundum omnia iuris praescripta. Ceterum provinciae huius praesides ut plurimum a Magistris Ordinis instituti esse videntur, idque non semper eodem nomine. Aliquando nempe instituuntur veri « priores provinciales », quo titulo aliqui eorum comitiis generalibus ordinis interfuere, aliquando vicarii dumtaxat Magistri Ordinis, aliquando denique gubernium provinciae tenent visitatores cum potestate commissarii a Magi-

stro Ordinis missi. Et tandem in priori praesertim medietate saec. 18, quando priores provinciales Naxivanenses interdum longiori tempore absunt a sua provincia, hi quoque vicarios quosdam suos instituunt, qui officium praesidis provinciae actu exerceant.

Sicut pro Gubernatoribus Unitorum supra fecimus, in elencho nostro chronologico praebemus annos tantum illos, pro quibus cuiusque praesidis mentionem reapse invenimus, qui anni ideo non necessario signant initium aut finem gubernii singulorum.

De prioribus provincialibus aliisque praesidibus Provinciae Naxivanensis Ord. Praed., praeter elenchum, quem praebet Ł. Ališan, Ujuuկան, 388b, hucusque typis impressum nil habetur. Multas tamen de illis notitias, sed nec eas sine lacunis, depromere potuimus e Libro Consiliorum Provinciae Naxivanensis 1710-1740, qui Constantinopoli nunc servatur in conventu S. Petri de Galata. Quaedam e Tabulario S. Congr. de Propaganda Fide, necnon ex Archivis Vaticanis desumpta passim leguntur in opere cui titulus: A Chronicle of the Carmelites in Persia, quod sine nomine auctoris in duobus voluminibus prodiit Londini, 1939. Pro praesidibus provinciae iam dispersae et historia hospitii Smyrnensis pauca pariter haurire potuimus e quibusdam documentis quae in conventu S. Petri de Galata usque hodie servantur. R. P. Benedictus Palazzo O. P. documenta in hoc conventu extantia sedulo collegit in quodam volumine tripartite distincto sub his titulis: La Provincia Domenicano-Armena alla vigilia della sua dispersione (extracta e « Libro Consiliorum » praedicto), La Fondazione dell'Ospizio di Smirne et: Il convento di Smirne sotto la Congregazione d'Oriente e la Provincia di S. Pietro Martire di Piemonte. Hoc opus manu conscriptum A. D. 1946 Friburgum mihi transmittendum curaverat A. R. P. Iacobus Carotenuto, superior domus Galatensis, et Romae nunc habetur in Arch. Gen. Ord. Praed. Liber Consiliorum Provinciae Naxivanensis, qui inter documenta Galatensia locum tenet praecipuum, notulas praebet, partim latino, partim italico, partim armenio idiomate conscriptas a die 23 Iulii 1710 usque ad 4 Maii 1740. Sed quae armenia lingua ibi habentur, in collectione R. P. Palazzo, textu praetermisso, compendiose italico sermone reddita sunt a sacerdote quodam armenio; haec igitur pars accuratiori investigatione indigeret. Etiam in subscriptione documentorum latinorum non raro legitur « due firme in armeno », « quattro firme armene » et his similia, quin ipsa nomina et cognomina referantur.

1586

Fr. Paulus. Nomen tantum habemus ex Ališan, Ujuuկան, 388b.

1604

Fr. Petrus de Dšahouk vicarii generalis munere fungebatur, temporibus Azariae Fritonis; cfr. Dom. Gravina, *Breve descrittione dello stato della christianita e della religione di S. Domenico nella provincia d'Armenia*, Romae 1605, p. 139.

1614, 1618

Fr. Paulus Maria Citadinus, Faventinus. Hic « provincialis » titulo appellatur, anno 1614 adiecto, apud Clementem Galanum, *Conc.* –

Ալիշ. I, 525, sed vicarii generalis nomine occurrit in documentis pontificiis anni 1618 et titulo commissarii et visitatoris institutus est a Magistro Ordinis Seraphino Secchi, die 6 Octob. 1614. A Paulo PP V simul cum Matthaeo archiepiscopo Naxivanensi die 28 Apr. 1618 regi Persarum commendatur. Commendatur etiam eidem ipsi praesuli ab eodem, die 29 Maii eiusdem anni, et Philippo III, Hispaniarum regi, die 28 Apr. 1618. Hae tres epistolae pontificiae editae nunc existunt in opere *Chronicle of the Carmelites*, II, 1291, 1327 et 1342. Anno 1624 consecratus est archiepiscopus Myrensis cum iure successionis ad sedem Naxivanensem. Ad quam sedem evectus est per mortem praedecessoris Matthaei, die 9 Iulii 1627, sed obiit d. 10. Dec. 1629 in Yucatan, quo transmiserat eleemosynarum conquirendarum gratia. De scriptis eius vide Quétif-Echard, *Script. O. P.* II, 420*b*; *Archivum fr. Praed.* 2 (1932) 415-6 et 6 (1936) 174-5.

1623

Fr. Gregorius Orsini, Romanus, visitator apostolica auctoritate constitutus. Hunc commemorant Pietro della Valle, *Viaggi* IV, Romae 1663, p. 393 et Ališan, Այրարատ, 395*a*.

1637, 27. Maii

Fr. Thomas Vitale de Monte Regali, S. Theol. Lector, a Mag. Ord. Nicolao Ridolfi prior provincialis instituitur. Provincialatus tempore absoluto, aliquamdiu moratus est Hierosolymis et Romam rediit d. 27 Oct. 1642, ubi duo opuscula edidit, de quibus vide Quétif-Echard, *Script. O. P.* II, 542*a* et A. Papillon in *Archivo fr. Praed.* 2 (1932) 416-7. Romae in Arch. Gen. Ord. Praed. extant tres relationes eius mss. de statu provinciae; cfr. *Anal. O. P.* 28 (1920) 228. Literae Urbani PP VIII, d. d. 13 Oct. 1637, quibus commendatur regi Persarum, editae habentur tum in *Chronicle of the Carmelites*, II, 1296-7, tum apud B. Reichert, *Mon. O. P. hist.* XII, 175. Anno 1644 creatus est S. Theol. Magister; ibidem, 177.

1641?

Fr. Antonius ab Incarnatione, S. Theol. Mag., Lusitanus, sed Goae natus in Indiis Orientalibus. S. Theologiam professus erat Goae in Collegio S. Thomae. Mentio eius extat in epistola quadam Alphonsi Mendez S. I., patriarchae Aethiopiae, d. d. 9 Ianuarii 1637; vide *Rerum Aethiopicarum Scriptores Occidentales*, quos Romae edidit C. Beccari S. I., XII, 121. Anno 1640, post acceptam relationem illam, d. d. 12 Martii 1640, quae servatur in Arch. Gen. Ord. Praed. (Reg. IV 76, fol. 1-3), a Magistro Ordinis institutus est prior provincialis, ea tamen lege, ut gubernium susciperet post officium illius terminatum, qui provinciae tunc praeerat. De eo loquitur Clemens Galanus in *Conc.* – Ալիշ., I, 526. Idem videtur esse qui bis memoratur apud Quétif-Echard, *Script. O. P.* II, 561*b* et 603*a-b*, ubi opuscula quae-

dam eius recensentur. Post provincialatum terminatum (1645?) Goam rediisse videtur. Quod suspicantur Quétif et Echard: scripsisse eum quaedam armenio idiomate, e codicibus, quos hucusque videre nobis contigit, comprobare non potuimus.

1651

Fr. Matthaeus de Aparan. Is in cap. gen. anni 1650 renuntiatus fuerat praedicator generalis; cfr. B. Reichert, *Mon. O. P. hist.* XII, 336. In Arch. Gen. Ord. Praed. Reg. IV 91, fol. 80*a* et fol. 124*a-b* habentur epistolae quaedam ad eum missae d. 20 Ianuarii 1651, quando erat prior provincialis suae provinciae Naxivanensis. Idem nobis videtur esse Fr. Matthaeus Yovhannisean seu Yovhannisec̣i (Awaniseci), qui postea iterum provincialis et tandem factus est archiepiscopus Naxivanensis; vide infra sub annis 1665 et 1668.

1652, 1654

Fr. Jacobus a Jesu de Kêcouk (Յակոբ Յիսուսի ի Կեծկոյ). Die 13 Iulii 1652 Innocentius PP. X regi Persarum commendat Fr. Iacobum a Jesu OP eiusque socios, qui ex Urbe in Armeniam revertuntur; cfr. *Chronicle Carmelites*, II, 1298. Post mortem Augustini archiepiscopi († 16 Apr. 1653), Iacobus quidam cognomine « Modestus », prior tunc provincialis, ad sedem Naxivanensem ab Armeniis propositus est; cfr. L. Lemmens, *Hierarchia latina Orientis 1622-1922 mediante S. Congr. de Prop. Fide instituta*, I, 14. Qui videtur idem esse qui alias Iacobus a Iesu. Idem adhuc sub nomine « Têr Yakob » memorari videtur in relatione P. Antonii Nazarean OP de suo itinere ad regem Galliae; Bibl. Nat. Paris. Ms Arm. 9, fol. 75*a*.

1660

Fr. Antoninus Tani, Florentinus, S. Theol. Magister, visitator. Mentio de eo habetur in relatione P. Ant. Nazarean in Ms. Arm. 9 Bibl. Nat. Paris. l. c. Cfr. etiam *Chronicle Carmelites*, I, 411. Ipse relationem brevem gestorum suorum dedit ad Clementem PP IX et ad cap. gen. Romae 1670 celebratum: *Brevis enarratio eorum quae gesta sunt in Persia a R. P. F. Antonino Tani magistro Dominicano ex provincia Romana, post secundum ex Persia in Italiam regressum Summo Pontifici bonae memoriae Clementi IX oblata, latine ex italico sermone translata ad commodiorem usum RR AA PP in comitiis generalibus congregatorum*, Romae 1670 et iterum Florentiae 1672; cfr. Quétif-Echard, *Script. O. P.* II, 642*b*-643*a*.

1665, 1668

Fr. Matthaeus Yovhannisean de Aparan, dictus etiam armenice « Yovhanniseci » et « Awaniseci », unde latine « Avanicensis » et ita-

lice « Avanisense »[9]. Anno 1665 memoratur fuisse prior provincialis suae provinciae; cfr. Lemmens, *Hierarchia*, I, 14-5. Officium adhuc tenebat anno 1668, quando, die 14 Maii, renuntiatus est archiepiscopus Naxivanensis; ibidem, p. 16. Ad praesulatum evectus, rogatu Magistri Ordinis iurisdictionem prioris provincialis simul retinuit usque ad adventum Fr. Francisci Piscopo, id est usque ad mensem Dec. 1673; cfr. Bedros Bedik, *Cehil Sutun seu Explicatio utriusque celeberrimi ac pretiosissimi theatri quadraginta columnarum in Perside*, Vindobonae 1678, p. 423, et R. M. Filamondo, *Raguaglio del viaggio... aggiuntavi la nuova spedizione del P. Maestro Fra Francesco Piscopo in Armenia e Persia*, Neapoli 1695, p. 308-9. Matthaeus iam archiepiscopus de statu provinciae relationem scripsit armenice, mense Ianuario 1673, quam edidit A(šot) Yovhannisean in periodico Êdšmiacinensi *Ararat* 49 (1915) 61-69. Mortuus est Matthaeus in urbe Qazwîn, d. 14 Iulii 1674.

167.

Fr. Antonius Nazarean (Nazari, Nazarôs) de Aprakouniq, S. Theol. Lector, inter priores provinciales memoratur apud Ališan, Սիսական, 388*b*. Relationem brevem scripsit de suo itinere ad regem Galliae, cuius autographum extat Paris. Bibl. Nat. in Ms Arm. 9; cfr. Quétif-Echard, *Script. O. P.* II, 652*b*-653*a*, ubi cognomen eius minus recte « Napari » legitur. Versionem gallicam relationis dedit M. F. Brosset in *Journal Asiatique* 3 (1837) 415-21.

1672

Fr. Gregorius de Corcor, S. Theol. Mag., sub hoc anno inter praesides provinciae habetur apud Ališan, Սիսական, 388*b*. Quae res ita forte intelligenda sit, quod fuerit vicarius ab archiepiscopo Matthaeo super totam provinciam institutus. De vita et scriptis eius pauca discussimus in editione armenia Officii S. Dominici, 53-5. Anno 1675 vel 1676 « Gregorio

[9] Omnes istae formae diversae sunt unius et eiusdem cognominis. « Yovhannisean » armenice est cognomen hominis qui stirpem ducit ab aliquo progenitore, cuius nomen fuit Yovhannês. Talia cognomina — qualia v. gr. etiam Germani cognoscunt: Hansen, Petersen, etc. — apud Armenios sunt usu longe frequentissima. Iamvero « Yovhannês » (Յովհաննէս) armenice interdum Ովանէս (Ôvanês) scribitur et Ւանէս (Awanês). Loco autem terminationis patronymicae consuetae « -ean », interdum invenitur « -eçi », ita ut pro « Yovhannisean » dicatur etiam « Yovhanniseçi » et « Awaniseçi ». Cum autem terminatio « -eçi » armenice longe frequentius usurpetur ut qua locus indicetur, unde quis ortum duxit, ideo nomen, reapse patronymicum, « Awaniseçi » minus recte latine redditum est « Avanicensis » et « Avanisensis » ac si ageretur de cognomine ducto a quodam loco nomine « Awaniç » vel « Awanis ». De formis cognominum patronymicorum, quales sunt « Badšeçi » iuxta « Badšenç », « Yovhanniseçi » iuxta « Yovhannisean », « Alêqsanoseçi » iuxta « Alêqsanosean » et pluribus his similibus erudite scripsit Nersês Akinean in periodico Handês Amsôreay 62 (1948) 435-9.

Furfurense» (*sic*) electus est ad sedem Naxivanensem, sed Urbem dum petebat Venetiis vita functus est A. D. 1678; cfr. L. Lemmens, *Hierarchia*, I, 18-9.

1673, die 14 Ianuarii

Fr. Dominicus a Rosario (? armenice: Ֆր. դոմինիկոս ռոզարի, *sic*) de Xôškašên, Praedicator Generalis, tunc in conventu Qṙnayensi degens, in relatione Matthaei archiepiscopi vocatur «vicarius ordinis huius provinciae» (վիքար կարդի գաւառին), *Ararat* 49 (1915) 68.

1673-1676

Fr. Franciscus Piscopo, S. Theol. Magister, visitator, commissarius et vicarius provinciae, institutus a Mag. Ordinis. Apographum instrumenti cuiusdam, quo indulgentias concedit, invenitur in cod. ms Êdšmiacin Kareneanǫ N. 1703, fol. 187*b*. De legatione, qua, mandante Summo Pontifice, ad regem Persarum functus est, mentio exstat in epistola eiusdem regis ad Clementem PP IX (1673); textus huius epistolae ex Arch. Secr. Vat., A. A. Arm. I-XVIII, N. 761, editus habetur in *Chronicle Carmelites*, II, 1355. De rebus gestis Francisci Piscopo narrationem sat amplam praebent Bedik, *Cehil Sutun*, 417 ss et Filamondo, *Raguaglio*, 249-364; ceterum vide *Chronicle Carmelites*, I, 415 et 417, not. 1, necnon periodicum Հայմաւէպ 107 (1949) 34-6 et 90-92.

1676

Fr. Thomas Ṭadoumean (Tathumensis, Tuamense) inter praesides provinciae occurrit apud Ališan, Ալիշան, 388*b*. Mentio de eo extat apud Bedik, *Cehil Sutun*, 378, et Filamondo, *Raguaglio*, 286; cfr. etiam *Chron.Carmelites*, I, 411, not. 2. Post mortem Matthaei Yovhannisean nominatus est archiepiscopus Naxivanensis, sed «stantibus relationibus habitis de insufficientia Fr. Thomae Tathumensis, quae fuit etiam detecta in examine facto coram Em. Ponente, aliisque de causis... Sanctissimus mandavit expectari litteras ab Armenia» (nominatio fuit cassata); cfr. Lemmens, *Hierarchia*, I, 18-9.

1692-1702

Fr. Stephanus Maria Širan, qui postea (1703-1707) fuit archiepiscopus Naxivanensis. Die 7 Iunii 1692 Innocentius PP XII regi Persarum commendat simul cum archiepiscopo Naxivanensi etiam fr. Stephanum, qui cum eo in Armeniam profecturus est ad provincialatus officium ibi adeundum; cfr. *Chron. Carmelites*, II, 1309.

1702-1707

Fr. Hyacinthus Dawṭean (rectius forte: Hyacinthus David Yovhannisean) provinciae praefuit iuxta Ališan, Ալիշան, 388*b*. Antea (ab anno 1691) fuerat missionarius in Nor-Dšouła (Iṣfahān) ubi ecclesiam

construxerat; cfr. *Chronicle Carmelites*, I, 546, Epistola prioris provincialis Fr. « Hyacinthi David Avanisensis », d. d. 14 Apr. 1702, memoratur apud Lemmens, *Hierarchia*, I, 21, not. 1. Post mortem archiepiscopi Širan, electus est ad sedem Naxivanensem, sed dum Urbem petebat et iam fere Smyrnam attigerat, a praedonibus occisus est (relatio Secretarii S. Congr. de Prop. Fide in congr. generali, habita d. 25 Febr. 1709, apud Lemmens, l. c.).

1709-1712?

Fr. Angelus Smoliński, S. Theol. Mag. e provincia Poloniae. Iuxta Ališan, Վիմակն, 388*b* et 404*b*, officium provincialatus adeptus est A. D. 1709. E Libro Consiliorum Prov. Naxivanensis, die 23 Iunii 1710 primum concilium provinciae eo praeside celebratum est. Die vero 10 Martii 1712 in concilio provinciali rebellio contra eum exarsit, quae causa videtur fuisse cur officio cesserit.

« Anno 1712, die vero 10 Martii, Adm. R. P. Provincialis convocavit priores ad Consilium, in quo, in principio statim Consilii, obiectum est A. R. P. Provinciali: quod tu non potes esse noster Provincialis, quia nescis linguam armenicam. Et ideo quatuor Patres exierunt ex Consilio cum protestatione, scilicet P. Petrus Pelvan prior Ciahucensis, P. Petrus Maria Mirceci prior Sciabunensis, P. Ioannes Aberanensis et P. Gregorius Guliar Ciahucensis, qui etiam declaraverunt cum tumultu: dictum A. R. P. Provincialem privatum esse voce activa et passiva, contra leges et constitutiones nostras. Reliqui vero priores et Patres a Consilio, uti iam acceptatum prius, et modo assenserunt A. R. Patri Provinciali et recognoverunt eum pro suo superiore uti rite institutum et acceptatum prius. Cui, uti vero, subscripserunt patres reliqui. Ita est. Ego Fr. Angelus Mag. Prov. Armeniae, mp » (Excerpta B. Palazzo, p. 36).

1716, mense Aug.

Fr. Antoninus de Pesclavio, congregationis S. Sabinae, in Libro Consiliorum signat ut vicarius generalis et visitator Provinciae. Missionibus orientalibus tunc a pluribus annis addictus fuerat. Iam die 20 Apr. 1701, Petrus Martyr de Parma (qui postea, 1709-1721, fuit archiepiscopus Naxivanensis), Corradinus de Valletellina, Archangelus (Ferri) a Brixia (postea, 1722-31, pariter archiep. Nax.) et « Antoninus Poschiavanus », ut ibi vocatur, omnes e congr. S. Sabinae de Urbe, a Summo Pontifice Clemente PP XI literas commendatitias acceperant ad regem Persarum et ad « Nahabiet, totius nationis Armenorum patriarcham » id est ad Nahapet Edesaçi, qui fuit kaṭołikos Êdšmiacinensis 1691-1705; cfr. *Chron. Carmelites*, II, 1311 et 1334-5.

1717-1722 (?)

Fr. Petrus Ṗehlewan de Dšahouk, prior provincialis. Iuxta Librum Consiliorum, die 13 Apr. 1717 primum concilium Provinciae eo praeside habitum est. Frequens de eo mentio est in diversis partibus istius libri. Anno 1703, post septem annos, quibus studiorum causa degerat in Urbe ad

S. Mariae supra Minervam, regressus erat in patriam. Die 24. Iunii 1710 prior conventus Dšahoukensis eligitur. Die 10 Martii 1712 memoratur inter illos qui rebellarunt contra provincialem P. Angelum Smoliński. Kal. Iuliis eiusdem anni cum amico et concive suo Gregorio Kouliar (Guliar) in Italiam remittitur ad Breviarium Naxivanense typis excudendum, quo opere absoluto, Venetiis, sociato labore, adhuc edidere parvum catechismum. Kal. Iuniis 1716 Petrus et Gregorius simul regressi erant in Armeniam, pecunias quasdam secum deferentes, quae eo die conventibus distribuuntur a Fr. Antonino de Pesclavio, vicario Provinciae. Provincialatus officium adhuc tenebat Petrus die 19 Apr. 1721, quando scripsit indicem seu elenchum capitulorum libri illius, qui modo est cod. N. 1663 Bibl. PP Mekhitharistarum S. Lazari. Die 22 Aprilis 1723, in conventu de Šahapouniq degens, complevit Missale illud, quod nunc est cod. N. 463 Bibl. Mekhitharistarum Vindobonensium, in quo continetur etiam parvum poema de SS Missae Sacrificio, quod die 12 Iunii eiusdem anni composuit. Ceterum de eo vide Ališan, Ս. Խաչն, 404-5, et ea quae scripsimus in editione Off. S. Dominici, 52-6. De altero vero eius provincialatu, vide infra ad annum 1728; de munere vicarii, quod gessit sub provincialatu P. Alexii Alêqsanoseçi, ad annos 1731-34.

1722, die 12 Iulii

Fr. Bernardus Bergomi de Mediolano iuxta Librum Consiliorum est vicarius provinciae; die autem 3 Augusti subsequentis institutio eius in priorem provincialem, facta a Magistro Ordinis, publice intimatur. Ex tenore literarum patentium hoc officium, quadriennio duraturum, exercere incipiet die oct. Paschatis anni 1723. Ališan, Ս. Խաչն, 388*b*, eum inter praesides provinciae commemorat sub anno 1724. Iam antea (1721) actum est de nominatione Fr. Bernardi ad archiepiscopatum Naxivanensem et postea (1732) propositus est pro episcopatu Iṣfahānensi in Perside; cfr. Lemmens, *Hierarchia*, I, 23, 24. Regressus tandem in patriam et Ferrariae degens in conv. S. Dominici, die 19 Apr. 1735 approbat scriptum quoddam polemicum, quod armenio idiomate concinnaverat Georgius quidam Constantinopolitanus, quod extat in cod. « Borg. Arm. 18 » bibl. Vaticanae; cfr. Tisserant, p. 22, 23. Et vide Barseł Sargisean, Ա՛այր յուշյակ Ա՛խիթ. Վ. հնեաւ, II, 1238-9.

1726, kalendis Iuniis

Fr. Gregorius de Dšahouk, auctoritate Magistri Ordinis vicarius provinciae instituitur iuxta Librum Consiliorum. Idem ille est Gregorius Kouliar [10], qui fuerat socius P. Petri Pehlewan in edendo Breviario. Quaedam de eo scripsimus in nostra editione Off. S. Dominici, 55-6.

[10] Apud Ališan, Ս. Խաչն, 404[b], quem secuti sumus in editione nostra Off. S. Dominici, p. 55, cognomen scribitur կուլնար (Koulnar), sed lectio videtur erronea.

1728, mense Ianuario

Fr. Petrus Ṗehlewan de Dšahouk secundo provincialis eligitur ab electoribus provinciae in conventu Qṙnayensi congregatis; die autem 13 Febr. iuxta Librum Consiliorum primum concilium Provinciae eo praeside celebratur.

1729 (?) – 1740 (?)

Fr. Alexius Alexii de Dšahouk, qui armenice vocatur Alêqsanos Alêqsanean seu Alêqsanoseçi. De eo et de vicariis ab eo institutis passim multa habentur in Libro Consiliorum. Non longe ante 1710 debuit esse prior conventus Šahapouniq, nam die 24 Augusti eiusdem anni, post resignationem Fr. Ioannis de Dšahouk, iterum prior Šahapouniq designatur cum dispensatione ab interstitiis. Die 24 Sept. 1711 patres provinciae ad eleemosynas conquirendas eum delegant in Indias Orientales, sed paucos post dies (30 Sept.) missio haec, utpote fraudulenter obtenta, revocatur et Fr. Alexius suo prioratu privatur. Die 30 Octobr. 1717 iterum designatur superior conventus de Šahapouniq et anno sequenti, die 20 Novembris, denuo delegatur ad quaestum apud exteros, dum socius ei adiungitur Fr. Petrus Ioannis, id est Petros Łôṙan de Dšahouk, praedicator generalis. Per Venetias Romam proficiscuntur, inde transeunt in Hispaniam, Lusitaniam et in Americam tandem Centralem[11]. Anno 1722 binas pecuniae summas transmittunt in Armeniam; die 28 Aprilis 1727 novas transmittunt pecunias. Regressus in Italiam, Fr. Alexius a Magistro ord. prior provincialis suae provinciae instituitur, nec tamen statim in patriam regreditur, prius nimirum imprimi curat Supplementum Breviarii Armeno-dominicani, de quo vide *Archivum. fr. Praed.* 20 (1950) 428-9. Post haec Smyrnam proficiscitur, sed bello detentus in Armeniam Orientalem transmeare nequit. Ideo, Smyrnae degens, plures successive designat vicarios, qui, nomine eius, gubernium in provincia exerceant. Literae quaedam Clementis PP XII, quibus, die 18 Iulii 1737, Persarum regi commendat Fr. Alexium Alexii eiusque socium Fr. Petrum Ioannis, editae nunc habentur in *Chron. Carmelites*, II, 1319. Die tandem 29 Sept. 1739 conventum Omnium Sanctorum de Aparaner attingere potest et regimen in se suscipere. Diebus 11 Apr. et 4 Maii 1740, adhuc prior prov. existens, ultima signat documenta, quae in Libro Consiliorum continentur.

---

pro կուլիար (Kouliar). In Libro Consiliorum, sicut etiam apud continuatores Quétif-Echard, Script. O. P. III, 569, nomen latinis characteribus redditur « Guliar ». Neque audiendus est continuator, ubi l. c. proponit legere « Gulian ».

[11] Extat brevis quaedam relatio huius itineris, armenice conscripta manu Fr. Petri Łôřan, cuius summam refert Ališan, Սիսական, 405 in not. 3[a], quin cod. ms. indicet unde eam sumpserit.

1731-1734

Fr. Petrus Ṗehlewan de Dšahouk, de quo vide supra ad annos 1717 et 1728. Mense Aug. 1731 per literas patentes P. Alexii instituitur vicarius provinciae. In hoc officio constitutus moritur versus finem anni 1734.

1736, die 28 Decembris

Fr. Thomas Isavertenç seu Isaverdêanç de Xôškâšên, literis patentibus acceptis, quibus a P. Alexio instituitur vicarius provinciae, officium suscipit. Is, post dispersam provinciam in Italiam appulit, ubi editionem alteram Officii Mariani Armeno-dominicani procuravit, Venetiis apud Antonium Bortoli, 1768; cfr. A. Łazikean, *Հայկական նոր մատենա-գիտութիւն և հանր. հայ կեանքի*, I, 856-8. Vixit usque ad extremam senectutem et obiit d. 19 Dec. 1794 Anconae in conventu S. Dominici; cfr. Ališan, *Միսական*, 408*b*.

1743

Fr. Petrus Łôṙan, de quo supra ad annum 1729 mentionem fecimus, sub hoc anno 1743 inter praesides provinciae memoratur apud Ališan, *Միսական*, 388*b*.

1744-1756

Fr. Ḗusebius Maria Franzosini provincialem egit provinciae iam dispersae. Brevis quaedam delineatio vitae eius et plura quoque documenta, quae spectant hospitium Smyrnense, quod fuit ultimum receptaculum Fratrum Provinciae Naxivanensis, servantur usque hodie in tabulario domus nostrae S. Petri de Galata et referuntur in collectione R. P. Benedicti Palazzo. Praeterea Romae in Arch. Gen. Ord. Praed. extat relatio quaedam ipsius P. Franzosini, italico sermone conscripta, cuius hic est titulus: *Notizie spettanti alla causa de' Domenicani della Provincia di Armenia, da trattarsi nella Sagra Congregazione di Propaganda;* cfr. *Anal. O. P.* 28 (1920) 228. Documenta quaedam ad regimen eius spectantia pariter servantur in eodem Arch. Gen. Ord. Praed. in voluminibus, quae signantur Ms IV 223 et XIII 371, quod me docuit R. P. Dominicus Planzer, literis Roma ad me datis d. 26. Maii 1935. Cum in Armeniam Orientalem se transferre non posset, post institutionem suam primo (1744-6) resedit Ancyrae, deinde Smyrnae, ubi, indefesse laborans pro fratribus suae curae commissis, hospitium Smyrnense, quo reciperentur, erexit. Comitiis generalibus ordinis annorum 1748 et 1756 titulo provincialis Naxivanensis interfuit; cfr. B. Reichert, *Mon. O. P. hist.* XIV, 98 (ubi cognomen minus accurate scribitur « Fransolini ») et 189. Inter haec, die 20 Dec. 1754, designatus est vicarius apostolicus Smyrnensis, quod officium tenuit usque ad annum 1763; cfr. Lemmens, *Hierarchia*, I, 41-2.

1763-1769

Fr. Seraphinus Pentillo inter praesides provinciae memoratur apud Ališan, Ալիշան, 388*b*. Et cfr. ibidem, 407, not. 1.

1769, 1773, 1777

Fr. Thomas Maria Vecchio, Praed. Generalis. Tamquam vicarius provinciae memoratur A. D. 1769; cfr. Ališan, Ալիշան, 404, not. 1. Sub anno 1773 inter praesides provinciae habetur apud eumdem, 388*b*. Prioris demum provincialis titulo interest comitiis generalibus anni 1777; cfr. B. Reichert, *Mon. O. P. hist.* XIV, 299. Plura passim de eo haberi Romae in Arch. Gen. Ord. Praed. (Ms XIII, 372) me docuit R. P. Dominicus Planzer, literis Roma ad me datis d. 26 Maii 1935.

1782

Fr. Benedictus Oumit inter praesides provinciae — sed dubito utrum recte — enumeratur apud Ališan, Ալիշան, 388*b*. Videtur fuisse syndicus seu procurator provinciae.

1799, die 19. Martii

Fr. Petrus Martyr de Andreis tamquam praeses (« presidente ») provinciae Naxivanensis memoratur in epistula quadam A. R. P. Michaelis Angeli Morcolioni, prioris SS. Pauli et Ioannis Venetiarum ad eum directa. Extat in tabulario domus S. Petri de Galata et integre refertur in collectione R. P. Benedicti Palazzo, sub n. XVIII. De eodem iam mentio est in ratiociniis venetis annorum 1772-3; cfr. Ališan, Ալիշան, 407, not. 1.

1804, die 23 Febr.

Fr. Hyacinthus Lazzarini, vicarius generalis provinciae « Armeniae » et Congregationis Orientis, facultates quasdam obtinet a Pio PP. VII. Documentum extat in tabulario domus S. Petri de Galata et integre refertur in collectione R. P. Palazzo sub n. XX. Quaedam ad regimen eius, decessorumque eiusdem (1779-1807) spectantia servantur in Arch. Gen. Ord. Praed. in volumine quod signatur Ms. XIII 373.

Die tandem 10 Decembris 1813 ultimus superstes e FF. Praedicatoribus Provinciae Naxivanensis in Armenia Maiori Smyrnae obiit iuxta relationem de inventario, ut vulgo vocant, hospitii Smyrnensis, datam d. 22 Decembris 1814 ab A. R. P. Petro de Andria, vicario generali Congregationis Orientis et R. P. Paulo Nahapet, qui Constantinopoli Smyrnam missus est ut inventarium ultimae domus conficeret. Documentum extat in tabulario domus S. Petri de Galata et integre refertur in collectione R. P. Palazzo, sub n. XXI.